17

# DISSERTATIO MEDICA
## INAUGURALIS,
## DE
# MORBILLIS:

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
*Ex auctoritate reverendi admodum viri*
D. GULIELMI WISHART S. T. D.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NEC NON

*Ampliſſimi* SENATUS ACADEMICI *conſenſu,*
*et nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS PETRIE, Scoto-Britannus.

Ad diem 30 Maii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI,
Apud T. et W. Ruddimannos. M.DCC.L.

For Doct.r Dimnock
Physician in Lincoln

VIRO LECTISSIMO,

# D. D. GILBERTO ELLIOT

DE MINTO,

EQUITI BARONETTO,

IN SUPREMO APUD NOS JUDICUM CONSESSU
UNI EX QUINDECIMVIRIS LITIBUS JUDICANDIS,

ET

UNI EX SEPTEMVIRIS CRIMINIBUS COGNOSCENDIS;
MUNERA PUBLICA SUMMA CUM DIGNITATE
SUSTINENTI;

SIMUL ET VITAE INTEGRITATIS,
MORUM ELEGANTIAE,
INGENII SUAVITATIS,
LITERARUM AMOENIORUM
ARTIUMQUE LIBERALIUM AMORIS,
OPTIMUM EXEMPLUM ET SUIS ET ALIIS
EXHIBENTI;

NECNON,

NECNON,

VIRO DOCTISSIMO,

# D. ANDREAE PLUMMER

DE MIDDLESTEAD,

MEDICINÆ ET CHEMIÆ IN ACADEMIA EDINBURGENSI

PROFESSORI;

OB ARTIS APOLLINEAE PERITIAM EXIMIAM,

OMNESQUE ALIAS ANIMI FACULTATES,

QUAE HOMINEM ORNANT,

CONSPICUO;

NON MAGIS PROPTER AFFINITATEM,

QUAM VARIA IN SE COLLATA BENEFICIA,

SUMMOPERE COLENDO:

PATRONIS OPTIME DE SE SUISQUE MERITIS,

HANC QUALEMCUNQUE DISSERTATIONEM,

GRATI SUI ANIMI INDICIUM

SACRAM VULT

ROBERTUS PETRIE.

# DISSERTATIO MEDICA,

## DE

# MORBILLIS.

## PROOEMIUM.

INTER varia commoda, quibus in hac vita hominibus datum eſt frui, nihil ſanitate jucundius, nihil optabilius: hac quippe deſtitutis reliqua inſulſa deveniunt, imo vita ipſa taedii et luctus plena. Hinc brevi poſt homines natos cogitatum fuit, de arte invenienda, quae ſanitatem aegris reſtitueret; haec deinceps ſenſim exculta, atque viri praeclari, qui hujus ſtudio et exercitationi vitam conſecrarunt, ſummis afficiebantur honoribus. Antiquiſſimae gentes MEDICINAM Diis immortalibus acceptam referre ſolebant, vel homines, qui artem rudem adhuc, et trivialem, paulo ſubtilius excoluere, divinis proſequebantur honoribus. Quid enim praeſtantius? quid reipublicae utilius, quam cives incolumes, atque a dolore et aegritudine liberos praeſtare? Quid ad Deos propius nos evehit, quam morbos depellere, atque mortem inviſam arcere? Nam, ut cum Cicerone loquar, "Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam "ſalutem hominibus dando."

BENE igitur et ſapienter illuſtriſſimae hujus Academiae legibus ſancitum eſt, ut unuſquiſque ad nomen Medici,

ſummos in arte medica honores adſpirans, non ſolum tentamina privata ſubeat, ſed etiam ſpecimen quoddam ſuae diligentiae et peritiae in publicum emittat. Hoc lubenter aggredior, non pruritu ſcribendi, aut ſpe aliquid novi in lucem edendi ductus, ſed, ut legi academicae obtemperem. Mihi, de hac re cogitanti, nihil magis arriſit, quam pauca de MORBILLIS, morbo inter nos adeo familiari, dicere. Et ſcire licet, quod, in hac re pertractanda, animum induxerim, de hujus morbi origine atque progreſſu, cauſis, ſymptomatibus, vario eventu, demumque medendi methodo, quantum fieri poſſit, intra anguſtos hujuſmodi diſſertatiunculae limites, diſſerere.

ARGUMENTUM quidem difficile atque tyroni arduum. Sed, benevole lector, ſi in hoc primo tentamine, quod non ultro ſuſcepi, et in hiſce ſtudiorum primitiis, feſtinante nimis calamo conſcriptis, forſan errores quidam ſubrepſerint, aut rudior ſtylus offenderit, aetas, ſpero, excuſabit juvenilis, et benigno interpreteris animo, rogo, confido; neque paucis offendaris maculis,

*——————— quas aut incuria fudit,*
*Aut humana parum cavit natura.——*

## NOMEN et ORIGO MORBI.

NOMEN morbillorum, a quibuſdam medicis, non ſolum huic

huic morbo, ſed pleriſque aliis febribus eruptione ſtipatis, ut variolis, febri miliari, atque id genus aliis, inditum eſt. Sed quoniam hi morbi a morbillis toto coelo diſtant, nominaque ſibi propria vindicant, per morbillos hodie intelligunt omnes medici, maculas aut papulas quaſdam minimas, rubras, purpureas quandoque, vel nigras, per totam corporis ſuperficiem diſſeminatas, quas febris nunquam non concomitatur. A variolis, aliiſque morbis, qui eruptionem habent, facili diſtinguendi negotio, uti melius ſub morbi hiſtoria, patebit. Morbilli, Arabibus *Bothar*, Hiſpanis *Serampion*, vel *Sarapion*, Gallis *Rougeole*, idiomate noſtro *The Meaſles*, audiunt.

Magna, inter ſcriptores recentiores, qui aliquod de hoc morbo tradiderunt, lis eſt, utrum morbilli et variolae, qui eandem aeram agnoſcunt, a Graecis, Latinis, aut Arabibus, primo cogniti et deſcripti fuerint.

Multi contendunt, Hippocratem, hunc morbum ſub nomine Anthracis, et Epinictydis, comprehendiſſe. Sed ut morbus hicce nullum nomen aut Graecum aut Romanum adeptus fuit, probabile videtur, Graecos et Latinos primos illos artis noſtrae magiſtros, in ſignis morborum omnium deſcribendis et diſtinguendis diligentiſſimos, non perfunctorie et obiter fuiſſe memoraturos, ſed prolixius depicturos, ſi modo atrox ſimul et contagioſum hoc malum agnoviſſent.

Ex

Ex Arabum igitur medicorum libris, petenda eſt prima morbi hujus notitia. Horum facile princeps Rhazes, circa annum aerae Chriſtianae nongenteſimum, inclaruit: ille in volumine ingenti, quod continens inſcribitur, Aaronem quendam tradit, in libris quos de medicina ſcripſit, ſigna variolarum, genera diverſa, atque curandi modum, explicuiſſe. Is Alexandriae natus, Mahumede imperante, anno ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, medicinam exercuit. Hinc conjecit doctiſſimus Friend, " In AEgypto fortaſſe prima huncce morbum exordia " habuiſſe." Alias quoque dicit *, " Morbillos Ara- " bes, qui affectus ſine dubio ejuſdem eſt aetatis, neque " incongrue ab Avicenna variola cholerica dicitur, viti- " um adeo variolis cognatum, cenſent, ut plerumque " de hiſce duobus ſimul agant, quaſi minor majore com- " prehenſus eſſet."

Attamen paulo antiquiorem originem ejus reperit quidem Johannes Reiske, qui in diſquiſitione ſua inaugurali dicit, ſe in veteri Arabico manuſcripto, bibliothecae Leidenſis, haec verba legiſſe, " Hoc demum anno, " comparuerunt primum in terris Arabum, variolae et " morbilli." Annus autem ille erat, poſt Christum natum, quingenteſimus ſeptuageſimus ſecundus, quo natus eſt ipſe Mahumedes: ſed hujus veritati haud multum inniti poſſumus.

Verun-

* Friend. oper. omn. 12mo, tom. 3. p. 305.

Veruntamen, ex ſupra recenſitis, variolas et morbillos primum Arabibus innotuiſſe, et ab iis primo deſcriptos fuiſſe, plane conſtat.

Si quis autem miretur, non citius in loca diſſita ex ſolo ſuo quaſi natali, hoc contagium ſerpſiſſe, is ſecum reputet, multo rariora fuiſſe, antiquiſſimis temporibus, quam noſtris, gentium inter ſe commercia, illarum praecipue quae interiora terrarum incolebant; navigationes quoque non perinde ac nunc dierum, longinquas fuiſſe inſtitutas. Idcirco, prout progreſſu temporis mutua hominum conſortia tam belli, quam pacis, artibus frequentiora fiebant, peſtis haec ſeſe late diffudit.

Per bella autem cum Saracenis pro *Terra ſancta*, in Chriſtianorum poteſtatem redigenda, ſub finem ſeculi undecimi et initio duodecimi geſta, vires maxime acquiſivit; quo factum eſt, ut hanc ſolam fere religioſarum ſuarum peregrinationum mercedem, domum reportarint Europaei. Et peſtis haecce a tabo in ſtragulis ac veſtimentis aegrotorum recepto, propagari videtur, ibique haerens et deliteſcens, fit morbi ſeminium, in iis mox pullulaturi, in quos ſparſum fuerit contactu, ſi nunquam adhuc hunc morbum experti ſint; praeſertim ſi anni tempeſtate atque aëris ambientis conditione foveatur.

Sed de hac re ſatis: atqui nunc ad hujus morbi ſym-



+ Mead speaks of the small pox
a - that is enough of Dr Mead

ptomatum hiſtoriam, ſeu diagnoſin, progrediendum eſt.

Morbilli initio veris ut plurimum oriuntur, et ad mediam aeſtatem fere epidemice graſſantur; infantes plerumque, atque etiam impuberes, hunc morbum nondum hactenus paſſos, aggrediuntur; horumque contagium ex aegrotantium commercio celerrime propagatur.

A rigore atque horrore, caloriſque et frigoris, ſe mutuo primo die excipientium, inaequalitate incipiunt.

Secundo die jam febris adeſt conſummata, cum ſiti, inappetentia, nauſea vomituque, lingua alba, (non vero ſicca) tuſſi acri, capitis atque oculorum gravedine, et ſomnolentia fere perpetua. Plerumque e naribus et oculis ſtillat humor, ſternutat aeger, aliquando cum narium haemorrhagia, intumeſcunt palpebrae paullo ante eruptionem cum lachrymarum effuſione, vomitus fit frequentior, cum cutis ariditate: ſaepius tamen accidit diarrhoea cum dejectionibus coloris ſubviridis, qualis infantulis dentientibus praecipue eſt familiaris. Praecedit quandoque eruptionem in foeminis, ſanguinis ex utero profluvium, immo vomitus cruentus; quae ſymptomata in hoc morbo magis, quam in variolis, conſueta eſſe obſervantur ‡.

Ad

‡ Hoffm. oper. omn. tom. 2. p. 63.

Ad quartum uſque diem, ut plurimum ingraveſcunt ſymptomata, quo tempore, ad ſummum die quinto, in facie erumpunt maculae parvae rubrae, pulicum morſibus perſimiles, quae auctae racematim coaleſcunt, et partem maculis variae figurae interſtinguunt, quae maculae ſupra cutis ſuperficiem paullulum elevantur, ut tactu, digito admoto, patet. A vultu ad pectus, dein ad alias partes, ſe diffundunt hae maculae, ſed non ut in facie elevantur. Symptomata, ut in variolis, poſt eruptionem non leniuntur, ſi vomitum excipias, qui ut plurimum aut ſemper tum recedit; ſed tuſſicula, febris, oculorum debilitas, cum defluxione, ſomnolentia, inappetentiâ aliaque non tantum perſeverant, ſed etiam intenduntur.

Die ſexto, papulae pallidae et aſperae deveniunt, praeſertim in faciei cute, tum rupta cuticula deſquamantur, et evaneſcere incipiunt; macularum vero in reliquo corpore rubor intenditur.

Octavo die, maculae faciei et reliqui corporis prope omnes evaneſcunt, et nono, nullae amplius ſuperſunt, ſed artus, facies, et quandoque totum corpus, quaſi farina conſperſa viſuntur; tum febris, ſpirandi difficultas, et tuſſicula importunius urgent, ſi praecipue regimen et medicamenta calidiora, currente morbo, ſint adhibita, quae etiam in peripneumoniam conjiciunt aegros; quae plures quam aut variolae ipſae, aut ſymptoma quodcunque

que ad eum ſpectans morbum, jugulat: his etiam non raro adjungitur diarrhoea, ab ipſo morbi initio, quae aliquando ad plures ſeptimanas, poſt ipſius morbi totam fugam, perſeverat.

Observat accuratiſſimus Sydenhamus *, "Quod, "aliquando poſt medicamenta juſto calidiora, exanthe-"mata liveſcunt primo, mox nigreſcunt; id vero adul-"tis tantum contingit, de quibus conclamatum eſt, ubi "primum nigredo iſta conſpicitur, niſi phlebotomia et "temperatioris regiminis refrigerio iis actutum ſubveni-"atur."

Nonnulli poſt hunc morbum, febri lenta lethali, cum atrophia et abdominis tumore, lente conſumuntur; in quibus poſt mortem diſſectis, glandulae meſenterii magnitudine auctae, atque pulmonis lobi corrupti materiaque putrida turgidi deprehenduntur †.

Quod cauſas attinet, hae in internas et externas a pleriſque auctoribus dividuntur: Avicenna et Arabes fere omnes, cauſam morbillorum internam et materialem, ſanguini menſtruo, tempore geſtationis corrupto, atque labem ſuam cum foetu communicanti, acceptam eſſe referendam,

* Oper. omn. medic. p. 121.
† Hoffm. oper. omn. p. 63. tom. 2.

ferendam, uno ore dicunt. Sed futile hoc commentum jam dudum delevit dies: praeſertim cum ex mali origine atque progreſſu abunde apparuit, Europam noſtram, a morbillis ſatis diu immunem fuiſſe, et labem tandem hanc ex Arabum commercio tantum accepiſſe.

Certe quidem ſcimus, corporis quandam requiri conditionem, qua contagium morbilloſum, in illud ex aëre ſuſceptum, in actum quaſi deducatur: quae vero haec ſit cauſa morbillorum interna materialis, nobis non attingere licet.

In re ita abſcondita, et a ſenſibus noſtris remota, ingenue fatendum nos nihil intelligere: quod melius videtur, quam vana fingere cerebri figmenta, aegris forte nociva, et per multas ambages et conjecturas vanas nulli certo fundamento innixas, craſſam tandem prodere ignorantiam.

Quoad cauſam externam ſive efficientem, conſtat, quoniam plures hoc morbo ſimul afficiuntur, eam in atmoſphaera noſtra haerere, quae tunc temporis particulis quibuſdam, ſive miaſmate quodam venenato, foeta eſſe videtur. Et nihil ultra dicere licet. Nam quale ſit hoc miaſma, vel cujus ſit naturae? An acida vel alcalina polleat acrimonia? Quis dixerit?

Quum ſubtile adeo ſit, ut ſenſuum noſtrorum captum longe fugiat, fruſtra de ejus natura, per experimenta Chemica aut Phyſica quaereretur, quae nulla ratione inſtitui poſſunt, neque ſi inſtituerentur, ſatis fida, et ab errore immunia forent. Medicum probum decet, ab omni vana ſuper hac re conjectura abſtinere, neque ingenio ſuo nimium indulgere, ne forte in errorem incidat, atque aeger poenas erroris ejus miſerrime luat: ſufficiat practico, hujus veneni, intra corpus ſuſcepti, effectus ſedulo inveſtigare, et exinde ſaniores, pro aegri ſalute, medendi regulas deducere. Sed ut in viam, ex qua digreſſus ſum, redeam:

Observatu dignum quoſdam eſſe homines, inter aegros, morbillis atque aliis morbis epidemicis decumbentes, diu verſatos, et non tantum cum illis, aëris diſpoſitionem malignam, ſed etiam contagium ex aegris corporibus diffuſum hauſiſſe, qui tamen ab hiſce morbis ſemper intacti permanſere. Unde patet, praeter cauſam externam neceſſario, uti diximus, diſpoſitionem requiri internam, quae forte alicui rerum nonnaturalium errori, humores noſtros perturbanti, debetur, ita ut corpus, magis uno, quam alio tempore, hoc venenum in aëre haerens, aptius ſuſcipere reddatur.

Haec diſpoſitio in quibuſdam major atque gravior, in aliis minor atque mitior, et forſan ex rerum nonaturalium

um uſu quodam particulari, humores noſtri indolem huic veneno ita oppoſitam atque contrariam acquirere poſſint, ut exinde nunquam afficiantur. Proinde ex hoc cauſarum concurſu, morbillos dari feros, mites, aut in aliquibus per totam vitam nullos.

Immo quaedam inter auctores exempla extant, ubi fratres ſororeſque, dum in regionibus diverſis et longe diſſitis, vitam degerent, eodem tempore, eademque morbi epidemici ſpecie, decubuerunt *. Quod phaenomenon cum ſequente, valde nobis obſcurum eſt, ſcil. Cur homines raro vel nunquam niſi ſemel, morbillis afficiantur?

Causa efficiente haud rite intellecta, ſymptomatum ratio proinde incerta et in multis locis deficiens neceſſe evadet. Sed quantum pro viribus licet, omnium ſymptomatum, quae venenum jam in actum excitari oſtendunt, aptas reddere rationes conabor.

Sed quoniam multa ſymptomata, quae in hiſtoria morbi memorantur, fere cum omnibus febribus acutis communia ſunt, et perſpirationem prohibitam auctumque ſanguinis motum, ut cauſam agnoſcunt, omnia haec conſulto praetermittam, et tantum de his, quae ſolummodo huic morbo quaſi propria ſunt, agere inſtituo.

Sed

* Vide Manget. biblioth. med. pract. tom. iv. p. 210.

Sed antequam ulterius progredior, fortaſſe haud abs re foret, hoc unum de aëris conſtitutione praemittere.

Frequentius morbillos, variolas, alioſque morbos epidemicos, in vere et autumno, quam aliis temporibus, graſſari obſervamus; id forte fit, quod tempore verno et autumno, atmoſphaera noſtra admodum inaequalis et mutabilis eſt, modo humida, modo calida, modo frigida et ventoſa, ut non raro eodem die ter vel quater argentum vivum in barometro ſitum ſuum mutet; hiſce addamus, quod aëre calidiore et rariore facto, illa potentia fibrarum elaſtica, qua, fluida reguntur, et cutis tonus a frigore, humiditate et calore ſic variante, mirifice labefactantur, ut iſtius morbi ſemina aptius et facilius in corpus noſtrum ſuſcipiantur, et in motum excitentur.

Quotiescunque igitur, in regione quavis conſtitutio epidemica morbilloſa obtinet, miaſma illud ſubtile in aëre, ut videtur, haerens, intra corpus antea diſpoſitum, aut eidem applicatum, fibrillas quaſdam nervoſas ita vellicat, ut motum febrilem excitet: atque febris haecce, infectionem venenatam jam in ſanguinem recipi, et in motum excitari, denotat, ejuſque vi ſtimulante, in frequentiores contractiones concitari cor, ſanguiniſque motum accelerari: hinc ſanguis cum miſaſmatis vi, tum motu febrili, in denſitatem inflammatoriam abit.

Nausea

Nausea, quae hunc morbum plerumque praecedit, oriri videtur a miaſmate venenato in ventriculum cum cibo delato, nervos ibi irritante, atque inordinatum liquidi nervoſi motum efficiente: eodem quoque redit vomitus, qui pleriſque accidit, ſed cauſam paullo validiorem agnoſcens.

Lingua, ſemper in febre acuta, alba et ſicca apparet, plerumque et a calore aucto et vi febris ortum habet: attamen in hocce morbo diligentiſſimus Sydenhamus non ſiccam eſſe frequentius obſervabat, quod fortaſſe tantum in infantibus accidere ſolet, quibus vaſa minima, ratione aetatis, majora quam in adultis ſunt, exinde major ſalivae atque muci oris ſecretio.

Tussis acris a multis cauſis oriri poteſt, ſed plerumque in initio inducitur a veneno cum aëre in pulmones inducto, cujus particulae, circa fauces et tracheam, haerentes, et haec loca ſtimulando, irritandoque, tuſſiculam aridam atque fere perpetuam creant.

Intumescentia palpebrarum, cum lachrymarum ante eruptionem effuſione, et his adjicere licet tuſſim acrem, ab auctoribus pleriſque tanquam ſymptomata huic morbo propria, et quaſi pathognomonica habentur: et ab humoribus particulis morbilloſis foetis oriuntur, ad glandulas lachrymales delatis, qui glandulas has irritant

atque ſtimulant, et exinde major lachrymarum effuſio; vel ab alia cauſa quoque fieri poteſt, humorum nempe velocitate aucta, qua, caeteris paribus, ex majori ſanguinis, eodem tempore, appulſu, augetur ſemper ſecretio. Ad hoc, ſi puncta lachrymalia, a ſtimulante veneni vi immediate ei applicati, inflammantur, hinc, lachrymis in nares aditus praecluditur, et furtim in genas labitur humor.

Eadem erit ratio humoris e naribus ſtillicidii, cum ſternutatione, atque motus ille convulſivus ſaepe repetitus, rupturam vaſorum, et exinde haemorrhagiam inducere poteſt.

Diarrhoea dejectionibus quandoque coloris viridis ſtipata, a materia perſpirabili in corpore retenta, qua vaſa interna pleniora et humores acriores redduntur; et ut magna inter cutem et inteſtina, ſympathia adeſſe videtur, aliqua pars hujus materiae forte in inteſtinis deponitur, et ibi tunicas eorum vellicando, motum periſtalticum promovendo, et ſecretionem muci liquidique inteſtinalis augendo, ſubducitur alvus; et plerumque in dentientibus, dejectiones coloris ſubviridis obſervantur, a magna acidae materiae copia in primis viis abundante, et ibi bile permiſta, colorem hunc viridem induunt.

Sanguinis ex utero profluvium, foeminis contingere poteſt, ſi circa tempus menſtrui fluxus, mulier febre corripia-

ripiatur acuta, qua, ora vaſorum uterinorum, adeo diſtenduntur, ut tranſmittatur ſanguis, et humorum impetu a tergo urgente, profluvium eo uſque durat, donec aliquantulum remittatur vis febris.

Vomitus cruentus, eandem cauſam, ut nauſea et vomitus, de quibus jam actum, ſed validiorem, agnoſcit, atque magnam vaſorum plenitudinem cum aucto ſanguinis motu, indicat. Sed cur ſymptoma hocce, morbillos potius, quam variolas, ſeu ullum alium morbum epidemicum concomitetur, obſervante Hoffmanno ‡? certe noſtri ſenſus indagationem, aeque ac miaſmatis illius venenati natura, quod hunc morbum facit, fugit.

Maculae, circa quartum quintumve diem apparentes, et per cutem diſſeminatae, cum fere nullo ſymptomatum lenimine, ex veneno morbilloſo jam ad cutem expulſo, oriuntur, ſed non tanta copia, ut perfecta fiat ſeparatio totius materiae morboſae.

Febris aliaque mala ſymptomata, poſt eruptionem nihil remittentia, demonſtrant, multum adhuc veneni humoribus implicatum manere, quod natura ad cutis peripheriam eliminare non valuit. An miaſma morbilloſum hujuſmodi naturae ſit, ut vaſa conſtringat, humoreſque ſimul magis denſos reddat? An hinc ad cutem delatum, in vaſis

‡ Oper. omn. tom. 2. p. 63.

vaſis minimis ex duplici cauſa, obſtructiones faciat? Annon maculae totidem ſint parvae inflammationes?

Patet igitur, quod non parvi ſit momenti pro aegrorum ſalute, ut venenum hoc, ad cutis ſuperficiem, valente natura, eliminetur, ne pulmones, cerebrum, aliaeve partes, uti loquuntur, magis nobiles, illo obſideantur.

Tussicula et ſpirandi difficultas, quae poſtquam omnes maculae evanuerunt, importunius urgent, et magis exacerbantur, magnam hujus materiae morbificae copiam pulmones occupaſſe indicant, quae brevi tempore inflammationem et exinde peripneumoniam inducit: hinc vaſa aërea compreſſa nimis, contra ſe invicem atteruntur, eodem quoque tempore, magna humoris copia tenuis et acris, circa laryngem totumque tracheae ambitum, ſecernitur, qua pulmones obſidentur, et ex ejus ſtimulo, tuſſis acris, anhelitus difficilis atque luctuoſus; immo quandoque funeſta naſcitur peripneumonia, qua tot aegri jugulantur, vel ſi mortem ex inflammatione effugiunt, ex vomica purulenta tabeſcunt.

Excussa ſic ſymptomatologia, clarior evadit prognoſis. Morbilli, per ſe non multum habent periculi, et ſaepius, potiſſimum inter plebeios, debito tantum regimine, ſine artis pharmaceuticae ope, iterum diſcedunt. Inter ſigna quae ſpem incolumitatis maxime promittunt, haemor-

rhagia ex naribus ſub morbi initio ſine virium debilitate, praecipue numeratur. Sed in genere, quo junior eſt aeger, ſanaque conſtitutione gaudens, quo mitior febris atque ſpirandi difficultas, quo pauciores, diſtinctae atque magis rubicundae ſunt maculae, et demum quo benignior anni tempeſtas, eo felicior exſpectandus eventus.

Ex adverſo vero, quo plura apparent ſymptomata, eo majus imminet periculum. Sitis ingens, et cum ea reſpirationis anguſtia atque phrenitis, ſi hae augeantur, mors itidem in propinquo eſt.

Alvi fluxus aut dyſenteria ſuperveniens diuturna, cum urinae ſuppreſſione, ſemper in mortem terminatur. Neque boni ominis ſunt ſudores largi, praeſertim in aetate provectioribus.

Si maculae poſt eruptionem ſubito recedunt, funeſto plerumque eventu, ut ex frigore incaute immiſſo contingit. Sed peſſimum eſt ſignum, ſi maculae lividae aut nigrae apparent.

De aegro quoque conclamatum eſt, ſi tuſſis cum reſpiratione parva et veloce perſiſtat; nam niſi cito idoneis ſuccurratur remediis, in phthiſin et tabem hecticam fit tranſitus.

Qui autem morbillis ſuccumbunt, maxime ex infantibus, nono plerumque die pereunt; ob copioſam materiam pulmones inflammantem, et nimium ſeri affluxum ſuffocationem demum inducentem.

Quandoque, ſuperato morbo, aeger, alvi fluxu diuturniore affligitur, quo vires ejus quotidie exhauriuntur, et demum, funeſta inducta tabe, vitam cum morte commutat.

Absolutis jam morbi hiſtoria atque prognoſi, pauca de therapeia tradere progredior: quae in his quatuor indicationibus verſari videtur.

Primo, Ut febris et vis vitae in juſto moderamine ſerventur.

Secundo, Ut macularum expulſio ad cutem promoveatur.

Tertio, Ut ſymptomata ſaeviſſima leniantur.

Quarto, Ut pro virili enitamur, morbo jam peracto, totas impuras hujus reliquias, extra corpus ejicere.

I. Ad primam indicationem peragendam; ſi aeger ſit plethoricus, cum pulſu valde celeri, corporis calore magis

gis aucto, inſtituatur venae ſectio, ut aegri vires aut aetas indicabunt. Praeterea, ſi ſub initio aeger, vomitu, vel nauſea inſigniori laboraverit, exhibeatur emeticum lene, quo ventriculus atque primae viae, a ſordibus atque ſaburra ſua liberentur, dum ſimul pars veneni morbilloſi, vomitu, e corpore eliminetur: quod infantibus maxime conducit, quorum inteſtina, materia copioſa acida aut viſcida plerumque ſcatent: his auxilio quoque ſunt, pulveres acidum abſorbentes, paululo Rhei permiſti, horum omnium facile princeps eſt magneſia alba. Ad hoc, ſi alvus ſtrictior ſit, clyſtere emolliente, refrigerante, infuſo, ſubducatur. Bibat aeger copioſe quemlibet potum diluentem, attenuantem, atque refrigerantem, modice calefactum. Diaeta ſimul ſit levis, digeſtionis facilis, atque putrefactioni reſiſtens.

Contra vero, ſi pulſus ſit debilis, cum ſopore, et alvi fluore, tunc epiſpaſtica, ſinapiſmi, medicamenta excitantia, cardiaca, et lenia adſtringentia adhiberi debent.

II. Si in caſibus poſitis methodus praeſcripta votis reſpondet, ut in juſto moderamine ſervetur febris, ſecunda indicatio, ſcil. ad macularum eruptionem promovendam, magna ex parte, ſponte abſolvetur.

Si vero, morbi violentiae, ſuccumbere apparet natura, maculis non rite prodeuntibus, praeter epiſpaſtica et ſinapiſ-

napiſmos, aeger per aliquot minuta in aqua tepida, umbilico tenus detineatur, ab aëre aperto et frigido ſollicite cavendo, parteſque in aqua non immerſas bene tegendo, ita ut eruptio partes verſus inferiores magis determinetur. Et forte non alienum foret, totum aegri corpus, pannis laneis, decocto herbarum emollientium et lenium aromaticorum imbutis, fovere; quo peracto, lecto calefacto ſtragulis bene obductus imponatur aeger; eique exhibeatur, ſerum lactis vinoſum, copioſum, tenue, vel infuſum ſalviae, cum ſpiritu mindereri, vel nitro ſtibiato, atque guttulis paucis tincturae croci, in liquore aliquo conveniente. Dum aliquot ante annis, variolae in *Hungaria* epidemice graſſabantur, fomentum ex aqua et lacte, vel ex ſero lactis calido, ad eruptionem promovendam, ut accepi, optimo cum ſucceſſu adhibitum fuiſſe.

Et quoniam conſtat, morbillos, tum natura, tum ratione medendi, quam maxime cum variolis convenire, methodum hanc in illis quoque auxilio fore, credere licet.

III. Tertia ſpectat indicatio ad ſymptomatum lenimen; inter quae tuſſis atque ſpirandi difficultas maxime ſaeviunt. Et 1mo, ad tuſſim leniendam, nihil magis conducit, quam oleum amygdalarum dulcium recenter expreſſum, ſyrupo pectorali permiſtum, quod has particulas venenatas, fauces irritantes, obtundit atque involvit.

2do, Sed

2do, Sed ſi tuſſis in pulmonibus ſedem ſuam habet, ex materia aliqua acri, vel viſcida, pulmonem obruente, tunc eadem methodus, qua ſuccurritur ſpirandi difficultati, auxilio erit. Ut haec materia viſcida attenuetur, et e pulmone rejiciatur, omnes radices vel herbae, pectorales dictae, celebrantur, et in forma decocti aut infuſi cum ſale nitro, aut ſpiritu mindereri, uſurpantur: inſpirare quoque debet aeger vapores ex decocto herbarum emollientium; neque ineptum foret, paululum ſyrupi vel oxymellis ſcillitici dare, ita ut lenis vomendi niſus excitetur; hiſce auxiliis ſubacto utcunque muci lentore, et expectoratione interdiu rite peracta, utile erit tuſſiendi conatum veſperi ſupprimere exhibito diacodio. Si, hiſce nihil obſtantibus, anhelitus adhuc valde urgeat, et ſuſpicio ſubeat pulmonem jam eſſe inflammatione obſeſſum, neceſſe erit, ut venae ſectio celebretur, pro aegri viribus, ac medici judicio repetenda.

3tio, Si diarrhoea ſuperveniat, et macularum eruptionem prohibere, aut vires aegri proſternere videatur, tunc prudenter et gradatim alvum ſiſtere oportet; bibat aeger pro potu ordinario decoctum album, vel lac aqua dilutum, cum pauxillo cinamomi aut macidis ſimul coctum: hic forte auxilio erit, tincturam rhei dulcem, vel etiam pulverem ejus toſtum cum pauculis calomelanos granis, parca exhibere manu, ita ut inteſtina a materia ſtimulante, ex parte, liberentur. Infundi quoque in alvum debet

clyſter ex amylo factus, ut mucum ex inteſtino recto abraſum ſuppleat. Sed ſi aſſidue, diuque perſiſtat diarrhoea, tum diacodiata, vel opiata, et adſtringentia fortiora, neceſſe eſt uſurpare.

4to, Si maculae lividae aut nigrae ſubito deveniunt; quae, pravam humorum indolem et gangraenam adfuturam, denotant; in hoc rerum ſtatu luctuoſo, quemadmodum in variolis, nihil aeque profuturum arbitror ac corticem Peruvianum, apta doſe et forma pro aegri aetate, et repetitis vicibus exhibitum, qui ob inſignem in hac clade gangraenoſa dotem, merito ſpecificus habetur.

IV. Nunc de ultima indicatione dicendum eſt: quae in eo verſatur, ut, morbo declinante, ejus reliquiae e corpore eliminentur. Cum maculae evaneſcere incipiunt, omnia ſymptomata, ut in hiſtoria dictum, magis exacerbantur, et hoc morbi ſtadio, pulmo plerumque male afficitur, ſpirandi difficultate aucta, huic ſuccurrendum et obviam eundum eſt, ſanguinis miſſione, ſi aegri vires ferant, vel veſicatorio inter ſcapulas applicato. Et cum morbus noſter, raro, niſi diarrhoea ſuperveniente, perfecte judicetur, ptiſana cathartica ſubduci debet alvus, quae forſan totam materiam morbificam ad inteſtina determinabit; et ſic immunis evadet pulmo. Deinde per tres vel quatuor ſeptimanas, tertio quoque die, purgetur aeger; et diebus a purgatione vacuis, medicamina attenuantia,

et

et leniter ſudorifera exhibeantur, ut iterum libera reddatur perſpiratio.

Si vero tuſſis adhuc perſeveret, et infarciantur pulmones, tum omnia medicamina, reſolventia, attenuantia, et pectoralia, cum gummi pectoralibus, et balſamis nativis liberiore exhibeantur manu, et totis viribus certandum, ne morbus in phthiſin aut tabem abeat.

Atque haec de morbillis ſufficiant dicta. Mihi autem ante incumbit, quam finis huic diſſertatiunculae imponatur, haud ignaro, quam ſit jejuna atque imperfecta, agnoſcere, plurima in ea, medicis praeclaris, qui de hoc argumento meruerunt, deberi: inter quos praecipui ſunt Sydenhamus atque Meadius, graviſſimi artis ſalutaris antiſtites. Neque eo audaciae procedere potui, ut ſilentio praeteream, me fere omne id, quod ortum hujus morbi atque progreſſum attinet, ex clariſſimi Meadii libro de variolis, mutuari. Et quum vir ille et arte et facundia plane inſignis ſit, ipſiſſimis ejus verbis uti, haud puduit; quod ſpero facile mihi, a L. B. condonabitur. Nihil nunc reſtat, niſi ut ſinceras Praeceptoribus meis benigniſſimis gratias, et certe quas habeo maximas, agam, et me ſupra plurimos mortales devinctiſſimum, (quot mihi Deus concedet annos) grato pioque animo ſemper profitear.

F I N I S.